Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 343
Quelle:
Copyright:

CXXIX. IX F. 4

489 Codex membraneus lat. Sec. XIII. Folior. 158. 4. minutius exaratus, minio passim distinctus et olim *Monasterii sancti Johannis in Seyts* (Styriae) *ordinis cartusiensis* est quintum Bibliothecae Aug. Exemplum *Aurorae Petri de Riga*, cujus ordo non parum turbatus est. Incipit enim a Cantico Cant. hoc modo:

Doctus origenes cum doctos vicerit omnes
In libris alijs. hoc in libris salomonis
Semet transcendens &c.

In Exemplo I. pro *Doctus* legitur *Solus*, et pro *hoc in libris* rectius *tamen in libro.* Puto collato utroque *Codice* rescribendum *hoc in libro.* Clausula calcis: *Explicit liber de amoris cantico. deo gratias*, et statim *fol.* 18. p. 2. *Incipit liber Job.* sed absque Prooemio, a versu: *Nomine Job vir erat* &c. Hunc excipit *fol.* 27. Liber *Josue*, qui, quasi praecessisset *Pentateuchus*, inscriptus est: *Explicunt. V. libri moysy. incipit Josue.* Sequitur *Ruth*, et post hanc demum *fol.* 31. *Incipit prologus in pentateuco moysi. In nomine domini nostri Jhesu christi*, prosaicus scilicet ille, cujus initium: *Frequens sodalium meorum peticio* &c. quemque in recensione Exempli I. excerpsi. Initium *Geneseos* absque aliis παρεγγοις:

Primo facta die duo. celum. terra. leguntur.

Divisa est haec juxta miniatas inscriptiones in IV. Libros. In Prologo *Levitici* redundat Distichon illud: *Uox autem domini moysen vocat* &c. Vide, quae dixi ad Exemplum III. *Pentateucho* continuo adscriptus est *Liber Judicum* incipiens a 5. illis Distichis, quae ad Exemplum I. notavi. Succedunt *Libri Regum* III. praefixis itidem 5. Distichis ibi notatis, quae a Codice *Trithemii* abfuere; re ipsa autem sunt Libri IV. ut testatur etiam rubrica calcis: *Explicit quartus liber regum.* Erravit itaque in eo Librarius, quod *fol.* 98. p. 2. ad v. *Regnavit Salomon rex* &c. qui iuxta *Trithemium* Librum IV. orditur, titulum non adjecerit. Post *Reges* habemus *Tobiam*, cui subscriptum Tristichon de 5. Mulieribus nomine *Annis*, *Danielem*, *Judith*, *Esther* et *Machabaeos.* Tandem *fol.* 126. absque titulo *Novum Testamentum* inchoat ab illo Prooemio: *Post legem ueterem respira petre* &c. de quo dictum est ad Exemplum I. Narratio orditur a *Luca*, cui mox *fol.* 127. insertum est Carmen, ut ibi, in laudem B. V. *Mariae*, in-